

niam laborem hunc nondum profligare, nedum finire, per alias occupationes licuerat: visum est, ne editionem libri praecipiteremus, neque tamen nostri discipuli carerent exemplaribus, nec iusto maiori ea pretio emere cogentur, aliena interim diligentia et ingenio recensitas illustratasque Anacreontis Odas edere. Stephanum enim et Fabrum Pauumque multa manifesto falsa, e quibus nulla nec probabilis saepe sententia cogi posset, in contextu retinuisse videbamus. Contra vero Barnesium, qui unus post Stephanum libro scripto, Vaticano puta, vel Palatino potius, usus est, cognoueramus nimis multa, praeter rem, mutasse atque ex ingenio emendasse; ut neminem fore sperem, cui hoc eius consilium probetur, nisi forte quis et Bentleianam rationem in edendis veterum libris laudandam putet. Baxterus autem, ut in Horatio, ita etiam in Anacreonte, recensendo media via incessisse mihi quidem videbatur, ut aperte falsa eiecerit, nihil vero praeter aequum mutauerit, neque quidquam, quod a vulgata lectione nimis recederet, intruserit. Itaque Britanni huius doctissimi editionem Anacreontis Carminum, et quidem secundam, quae ante quadraginta et quatuor annos Londini prodiit, repetere, sublata tamen Versione Latina, placuit. Atque quoniam notae eius sunt breues sensumque poëtae non obscurant, ut fere philosophici nostrorum hominum iusto longiores Commentarii, vel Centones potius, litteras sacras, sed illustrant non parum; eas subiici contextui verborum recte posse existimauimus. nam Pavi iudicium, qui eas ineptas pronunciauit, ego quidem non curandum, sed contemnendum, atque irridendum adeo, arbitror. Etsi enim in hoc Viro longe maior est atque accuratior Graecarum litterarum scientia, quam in multis eorum, qui eas in Academiis vel celeberrimis profiteantur; eiusque libri mihi haud parum ad eiusdem litterarum generis intellegentiam profuere: tamen non videtur is esse, qui potuerit et debuerit de

Cajau-